

PSALMI LXXIX. DISPOSITIO.

Insolentia hostium veritatis. Hostis sevit: juva, repende.

Est hinc (1) querela seu miseriae descriptio: ubi (1) *adventus gentium in Dei hereditatem* sive territorium, v. 1. (2) *templi profanatio*: (3) *Hierosolymes devastatio*: ibid. (4) *cadaverum humanorum sub diō multiplicatio*: v. 2. (5) *sanguinis temeraria profusio*: v. 3. (6) *sepulturae denegatio*: ibid. (7) *ignominiosa vicinorum delusio*: v. 4.

II. Gratiae petitio: (1) *utinam cesset a nobis furor tuus!* v. 5. [2] *effunde iram tuam super gentes; & super regna, te non colentia*: v. 6. ratio: *absursum sunt populum tuum penitus*: v. 7. [3] *ne recorderis iniquitatum nostrarum priorum*: v. 8. (4) *miserationes tuae obveniant nobis cito*: ratio: *absursum sumus valde*: ibid. (5) o-

A *penfer nobis; ratio: es Deus salutis nostrae; subest gloria tui nominis*: v. 9. (6) *eripe nos*: (7) *condona peccata nostra*: ratio: *propter nomen tuum*: ibid. *propter hostium sarcasmos*: v. 10. (8) *innotescat inter nos & gentes ultio sanguinis servorum tuorum*: ib. (9) *exaudi gemitum captivorum*: v. 11. & quidem *promagnitudine brachii tui*: (10) *superstites fac filios mortis*: ibid. (11) *repende vicinis nostris abunde ac palam ignominiam tibi illatam*: v. 12.

III. Gratitude promissio: (1) *nos, qui sumus tuus populus atque grex pascui tui, celebrabimus te in seculum*: v. 13. (2) *laudem tuam recensebimus de generatione in generationem*: ibid.

PSALMUS LXXIX.

EXPLICATIO VERSUS I.

לִאֲפָחִי *Asaphi*: eandem hanc inscriptionem vide sis *Psalm. L. 1.* Ad statum captivitatis Babylonicae refert *Pisc. Lyran. Muis, Hopfn. Quist.* (allegans *Mich. I. 5. & Jer. XXVI. 18.*) &c. Ad Antiochi Tyrannidem *Theod. Euthym. Eusebius, Junius &c.* Ad Romanorum devastationem *Atban. Socrates, Justinus.* Sed quidni ad omnem ecclesiae adversum periculosumque statum? Licet enim Davidis tempore vix evenerint ea, quae hinc ponuntur; Spiritus tamen Domini tempestive delineavit ea, quae imminabant, & simul suspiria, quae tunc usurpanda. Non inutile erit pellegere, quae *Coccejus* affert h. l. de autore *Asapho*, deque prophetica malorum adhuc imminentium descriptione: ut *Psal. LI. 20.*

גוֹתִים *gentes*: h. e. Philisthaei, Ammonitae, Moabitae, Midianitae, &c. de quorum in terram sanctam irruptionibus passim legere est in *lib. Judicum.* Speciatim vero de *Chaldeis* id nomen hic accipiendum esse, Interpretum plerique contendunt.

בָּאוּ *venerunt*: Luth. *gefallen*; nimirum exprimitur hoc modo hostilis advenientium animus, nec non inopinata atque gravis invasio, quomodo v. g. *cadu imber*, &c.

בְּחֵרֶתְךָ *in hereditatem tuam*: i. e. terram hanc Israeliticam, & speciatim in Urbem sanctam Jerusalem, quam instar *peculii hereditarii* specialiter tibi appropriasti, amasti, praesentia gratiosa honorasti, &c. Sic *Psalm. XXXIII. 12.* *populus, quem elegit sibi לְרִיָּה*; item *Psalm. XLVII. 5. LXVIII. 10. XXVIII. 9. LXXIV. 2. LXXVIII. 6. 71.* Sic de universa terra Sancta etiam *Aben Esra.* Angustius de solo templi loco *Muis ex Exod. XV. 17.* Latet verò hic argumentum ad auxilium ferendum movens, nim. sicut nemo, quamdiu pollet viribus, suam sibi finit infestari hereditatem; ita nec Deus diutius poterit connivere ad tantam hostium proterviam, circa ipsius hereditatem hucusque exercitam. Confer *Exod. XV. 17.*

בְּמִטּוֹתָם *contaminarunt templum tuum*:) cultum videlicet sacrum non solum impediendo, (nam hac ferè ratione immunda censetur terra, quae caret cultus sacri solennitatibus, *Jos. XXII. 19.*) verum impuris insuper corporibus illuc penetrando, sacram supellectilem contentim scrutando, proterveque attrectando, sceleratas in locis sacris actiones patrando, ut sunt idololatria, blasphemiae, scurrilitates, effusio humani sanguinis, &c. & planè tandem illud ipsum evertendo animò profus profanò. Confer *Jer. III. 1. 2. 9. XXIII. 11. 15. Jof. XXIV. 5. Ps. CVI. 8. Num. XXXV. 33. XIX. 13. 20.* (qui tetigerit cadaver, nec purificatus fuerit, מִטּוֹת pollut tabernaculum Domini) *Ezech. V. 11. XXIII. 38. xxxvi. 18. Lev. xx. 5. &c.* ubi de profanatione rerum sacrarum; sicut & alibi hoc ipsum מִטּוֹת reperitur de virginis intactae defloratione, ut *Gen. XXXIV. 5. 13. &c.*

הַיְכָל *templum sanctitatis tuae*:) i. e. templum tuum sanctum; substantivo vices gerente adjectivi. De voce הַיְכָל quae quandoque etiam *tabernaculo* tribuitur, vel loco conventuum sacrorum ante extructum templum Salomonis, dictum est *Psalm. V. 8. XI. 4. XXIX. 9. XXXVIII. 2.* vide *1. Samuel. I. 9. III. 3. & 2. Samuel. XXII. 7.*

וַיִּשְׁמְרוּ *posuerunt Jerusalem in acervos lapidum*:) i. e. fecerunt, ut Urbs haec sancta atque gloriosa maximam partem vastaretur incendiis, plurimique illinc orientur lapidum collapsorum cumuli, aut rudera. Ita namque verbum שָׁמַר ponere, constructum cum (ל) ut h. l. idem solet esse, ac *facere*, ut *res aliqua sit hoc vel illud*, ut *Gen. xlv. 9.* Dominus posuit me in Dominum Aegypti, i. e. fecit, ut essem Dominus Aegypti. *Jof. xxiii. 13.* posuit eam in ruinam. *Jerem. XII. 11.* posuit eam in ruinam. *cap. XIII. 16.* ponat lucem in umbram mortis. *Mich. I. 6.* וַיִּשְׁמְרוּ Samaritam לְעֵי תַשְׁרָה. Confer *Psalm. CXLVII. 14.* הַשֵּׁם גְּבוּלָה שְׁלוֹם qui ponit terminum tuum pacem.

לְעֵי